

signum universale seu distributivè sumtum prædicato enunciationis universalis affirmativæ apponi possit, & hoc ipsum negat quoque Aristoteles cap. 7. lib. de Interpr. ubi ait: Attributum universale, si universaliter attribuatur, non est verum pronunciatum, nulla enim affirmatio vera erit, in qua cum attributum sit universale, universaliter attribuatur, ut: *Omnis homo est omne animal.* Vid. Stahl. *quest. Log. quest. LVI.*

TH. V. Signum licet semper debeat apponi subjecto, subjecti tamen pars non est. Dicitur in hac thesi, quod signum non sit pars subjecti, quod probatur ex doctrina de enunciationum conversione, notum enim est, quod in conversione ex subjecto debeat fieri prædicatum & ex prædicato subjectum, hoc est, integrum subjectum debet traduci in locum prædicati, & prædicatum in locum subjecti. Nunc sumamus enunciationem aliquam, v. g. hanc: Nullus homo est equus, quæ si convertitur, subjectum debet poni loco prædicati, & prædicatum loco subjecti, si autem signum esset pars subjecti, etiam transponendum esset cum subjecto: & esset enunciatio adducta convertenda hoc modo: Equus est nullus homo, qualem conversionem non esse bonam, quilibet videt, cum eâ admisâ possit interdum conversâ verâ falsa esse convertens. (2.) B. Stahlus in *Not. ad Horn. lib. 2. cap. 3. lit. x.* probat hoc ex doctrina syllogismi. Nam, inquit, si signa in propositionibus universalibus vel particularibus essent subjecti partes, tunc quia in prima figura syllogismorum subjectum majoris propositionis est prædicatum minoris, signum universale esset etiam repetendum in prædicato minoris, aliàs termini plures essent quàm tres, neque medium simpliciter

B

citer